INDEX LECTIONUM

IN

LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI

INDE

A DIE XVI. MENSIS APRILIS

USQUE

AD DIEM XVIII. MENSIS AUGUSTI MDCCCLV

HABENDARUM.

INEST

DE NONNI DIONYSIACORUM LIBRO XXXIX.

DISSERTATIO.

TURICI,

EX OFFICINA ZÜRCHERI ET FURRERI.

1855.

In Nonno vel post egregiam Graefii operam etiamnunc satis multos naevos relinqui ut nuper in secundo conjectaneorum epicorum fasciculo professus, ita saepius quam vellem hoc ipso tempore expertus sum, ex quo Teubneri viri de nostris literis meritissimi in usum novam illius poëtae editionem parare coepi. Neque ex codicibus ullam salutis lucem eidem sperandam esse hodie ut olim mihi persuasum est. Strenue tamen pro virili parte enisus sum, ut poësis Graecorum epicae novissimus auctor sui similior evaderet. Ac quos singulos locos aut aliorum aut meis conjecturis emendatos dedi, eorum indicem praefationi includere satis habeo: de uno aliquo libro, cujus ordo seriesque narrationis miro modo turbatus luxatusque videtur, hac data opportunitate disserere animus est, quoniam nec tantum mihi sumo, ut ultro mihi credi postulem, et paullo accuratius causae exponantur necesse est, quibus ductus satis audacter obiter rem intuenti haud improbabiliter penitius investiganti versus transponendos putavi.

Liber est Dionysiacorum undequadragesimus, quo de pugna navali agitur inter Bacchi atque Deriadis copias commissa. Etenim cum per septem fere annos bellum, quod Bacchus Indis intulit, vario eventu gestum esset, deus vaticinii a Rhea quondam sibi dati memor Rhadamanes, quae gens a Minoe e Creta expulsa in Arabiam transmigraverat, naves sibi fabricari jusserat (21, 304–7. 36, 397–421). Qui cum naves paratas ornatasque adducerent, Deriades et ipse trecentarum, quibus imperabat, insularum (cfr. 26, 38. 222. 227) incolas suis cum navibus adesse jussit (39, 1–30). Quo facto cum uterque dux longiore oratione classiarios adhortatus aciem navalem instruxisset, utrimque tubae, tibiae aliaque id genus instrumenta resonantibus undique imaginibus concinuerunt (ib. v. 30–130).

Et huc usque quidem, ubi jam proelii nondum commissi initium describi exspectamus, omnia optime procedunt. Sed prima statim quae sequuntur verba difficultatem movent:

τοῖσι δὲ μαρναμένοισιν ἔην κλόνος· ὦρτο δ' ἰωὴ
κεκλομένων· καὶ λαὸς ἐθήμονι μάρνατο τέχνῃ
κυκλώσας στεφανηδὸν ὅλον στρατόν· ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
νηυσὶν ὁμοζυγέεσσιν ἐμιτρώθη στόλος Ἰνδῶν
εἰς λίνον ἐρχομένων νεπόδων τύπον.

Quid enim hoc: τοῖσι δὲ μαρναμένοισιν ἔην κλόνος? Atqui nondum conflixerant! Tum quis tandem populus his verbis indicatur: καὶ λαὸς ἐθήμονι μάρνατο τέχνῃ? At enim proximis statim indicatur, cum Aeacus primum, tum Erechtheus Jove ille, hic Borea invocato pugnam ciere dicuntur (v. 135—217). Sunt ergo Myrmidones Aegina oriundi, quibus Aeacus (13, 201-21), atque Athenienses, quibus Erechtheus praeest (ibid. 171-200). Hi igitur consueta arte usi utpote Salaminomachorum majores (v. 136) navibus suis undique circumdatis Indorum classem cingunt atque urgent. Haud malum totius pugnae initium, dicat quispiam, ut fortasse nihil faciendum sit, nisi ut v. 131 τοῖσι δ' ἄρ' ὀρνυμένοισιν sive simile quid scribatur, qua mutatione omnia bene procedant.

Audio, sed videamus quae singulare Aeaci atque Erechthei facinus excipiunt. Ac primum quidem Cyclopes inferuntur saxis et clamoribus infesti (v. 218—221); tum in universum utriusque classis concursus atque caedes utrimque facta paucis adumbratur (v. 222—227); porro pluribus depingitur, quomodo mortui moribundique gurgiti vasto innataverint aut a monstris marinis devorati fuerint armis varii generis mari cruentato haustis (v. 228—249).

Haec quidem, quamquam vix scite ordinateque enarrata censeri queunt, possunt tamen quodammodo defendi: in bellico tumultu describendo nimium quantum cum ceterorum poëtarum tum Nonni ingenium luxuriare videtur. Sed quid dicis, quod, dum incerto marte in medio certamine versari nobis videmur, subito Melicerta quidem sanguine rubere, Leucothea vero de Indica Bacchi victoria exsultare dicitur, nec non Thetis, si quidem laeto Dionysum adspicit oculo (v. 250—256)? Jam nunc igitur Indis profligatis victoria consummata est? Ita quidem videtur; sed prorsus aliter sentiunt duo alia maris numina, Galatea atque Neptunus. Et illa quidem Cyclopis nescio cujus virtutem conspicata de eo, quem Polyphemum esse falso putat, vehementissimo timore corripitur, ut adeo Veneris atque Neptuni opem imploret. Neptunus vero ipse ceteris Nereidibus stipatus ubi pugnam (γείτονα χάρμην v. 269) oculis lustrat, statim

non Polyphemum esse, qui propugnet, sed alium Cyclopem cognoscens Bacchum non sine invidia graviter vituperat, quod ceteris Cyclopibus ad bellum vocatis unum modo Polyphemum reliquerit, qui quidem jam dudum Deriadem trucidasset Indosque debellasset, non secus atque alius Neptuni filius Briareus, qui vel ipsum Jovem contra Titanes salvum praestitisset. Nec dissentit a Galatea et Neptuno Thoosa, quae, quod Polyphemum a proelio absentem desiderat, pudore suffunditur (v. 257—294).

Hi igitur dii marini non indubitatam Bacchi victoriam agnoscere, sed incerti exitus pugnam adspicere sibi videntur. Iis vero rursus Nereus contradicit, qui finito proelio (ὡς δὲ μόθου τέλος ἦεν v. 295) mare cruentatum, pisces anthropophagos atque ingentem miratur stragem mortuorum (v. 295—299), qui ipsi mortui post importunissime intercalatum versum 300

Βακχιάδες τε φάλαγγες ἐπέχραον αἴθοπι λαῷ

quibus vulneribus affecti fuerint, v. 301—305 describitur. Sed supersedere possum pluribus de hujus quidem loci ineptiis admonere, quoniam satis superque eam rem jam persecutus est Graefius hac ad v. 295 adscripta nota: „Quae ab hoc versu usque ad v. 311. leguntur, ita perturbata sunt, ut nihil certi sine melioribus libris videatur statui posse. Proelio finito, v. 295. 299. Nereum et Neptunum mare, sanguine et cadaveribus repletum, oculis perlustrasse, et describi trucidatorum varia vulnera v. 301—305. haec saltem inter se cohaererent, nisi v. 300. de impetu Bacchicae phalangis omnem nexum turbaret. Praeterea finis pugnae nondum est, sed illa continuatur, cfr. 312. sqq. usque ad finem libri. Denique id, quod de vano remigum studio v. 306—311. interponitur, incertum est, utrum de fuga sub finem praelii, an de primo impetu accipiendum sit. Fortasse poëta, finito priori praelio, secundum voluit distinguere; sed excidit initium narrationis, cuius particula erat v. 300. Totus locus v. 295—311. uti nunc est, a nemine desideraretur, si abesset. Caeterum v. 295. legitur ἐριφλοίσβου δὲ κυδοιμοῦ in editt. Rhodomannus: f. οὐδὲ μόθου.“

Nec hanc Rhodomanni medicinam nec Graefii de lacuna circa v. 300 statuenda suspicionem ad loci difficultates solvendas sufficere ut per se vel obiter legenti patet, ita clarius etiam apparet sequentia accuratius comparanti.

Jam enim primum v. 312—336 sagittarum utrimque (ἀμφοτέρης φάλαγγος v. 312) emissarum varius sed fere irritus effectus depingitur,

quippe quae partim in navibus defigantur, partim in mare delapsae piscium corporibus incidant, cujus aberrationis exempla in Phlogio, Corymbaso et ipso Deriade nobis proponuntur.

Jam subito ad Cyclopes iterum reditur, ex quibus Steropes quidem inter propugnatores versans breviter memoratur, Halimedes, quem jam supra v. 221 habuimus, saxo navem deprimere pluribus narratur v. 340—343. Sed cujus hasta duas naves uno ictu transverberans colligaverit, contra exspectationem non indicatur v. 344—347.

Quae jam subito v. 348—351 de quadruplici — non de triplici, quod erranti Graefio excidit — „classis acie dicuntur, ab initio", idem inquit, „exspectasses". Quod judicium nemo, opinor, vituperabit, praesertim si quis sequentia contulerit, quibus Morrheus describitur alternatim ab alia ad aliam navem transsiliens, donec Bacchi thyrso vulneratus pugna excedit, cui vulneri dum Brachmanus quidam medetur,

τόφρα δὲ δυσμενέεσσιν ἐπέχραε Λύδιος ἄρης

v. 360! Igitur tum demum utraeque copiae concurrunt post tot certaminum discrimina atque victoriam a Baccho reportatam!

Sed hic certe conflictus, qui tamen paullo insolentius verbis *τοῖσι μὲν ἐγρεκύδοιμος ἔην πλόος* indicatur, cito Baccho faustum angurari videtur eventum: certe quotquot hostium in mare praecipitantur, fluctibus hauriuntur, qui ex Bacchi militibus mari incidunt, natantes evadunt v. 361—371.

Vix opus igitur videtur, quod et Juppiter martis — qui ambiguus esse jam dudum desierat — lancem deprimit, et Neptunus cum Melicerta auriga currui insistens tridente hostes fugat v. 372—376, ut jam omnia conclamata esse tibi persuadeas.

Verum enimuero res multo aliter cedit: nam et venti minabundum Neptuni quasi suum illud „Quos ego" intonantis habitum aut ignorantes aut illudentes partim Deriadi partim Baccho succurrere parant, et Eris quamquam Victoria Bacchicarum navium vela sinuante Deriadis tamen classem ducens — quid tandem facit? Num fugae inclinantes paullulum retinet firmatque? Minime vero; sed quasi omnia adhuc pacata fuissent, pugnandi initium facit! Credat Judaeus, dicis; credere ipse debes, aut quomodo tandem interpreteris illud v. 384 sq. *καὶ στόλον ἰθύνουσα μαχήμονα Δηριαδῆος ὑσμίνης Ἔρις ἦρχε*? Profecto hoc si concoquere poteris, jam nihil te movebit, quod nunc demum Nereus concha canere,

Thetis fluctibus strepere narrantur v. 387—390, uterque scilicet „in majorem Bacchi gloriam“!

Hunc enim jam victoriae gloria ornatum esse putes, postquam Juppiter ipse atque Neptunus aperte ejus partes susceperunt. Nonne? Egregie vero falleris! Neque enim dii jam rem consummaverunt, sed cumulum demum addit Eurymedon Cabirus, qui sua nave incensa etiam adversariorum naves flammis petit, ut tandem Deriades cum Indis suis fugam capessat atque ad terram refugiat v. 391—407.

Jam recreare animum licet: pugna pugnata, victoria reportata est! Sed qua via et qua ratione, nemo facile dixerit. Ne multa: aut Bacchi vino gaudentis pugnam quamvis aquatilem ebrius Nonnus descripsit, aut quos hic pugnae illius actus et quasi gradus suo more sobrie riteque enarravit, infausta sive librarii sive bibliopegi temulentia temere permiscuit. Vide enim, quam bene omnia procedant, si „disjecti membra poëtae“ hoc ordine colligaveris:

(123—130.) 123 Ὣς εἰπὼν ἐκόρυσσε πεποιθότας ἡγεμονῆας.
ἤδη δὲ πτολέμοιο προάγγελος ἔγρετο σάλπιγξ,
125 καὶ μέλος ἐγρεκύδοιμον ἀνέκλαγον Ἄρεος αὐλοὶ
λαὸν ἀολλίζοντες, ἀρασσομένη δὲ βοείη
εἰναλίου κελάδησε μόθου χαλκόκροτον ἠχώ,
καὶ καναχὴν ὁμόδουπον ἀγέστρατος ἴαχε σύριγξ·
ἀντὶ δὲ πετραίης πολεμήια λείψανα φωνῆς
130 Πανιὰς ὑστερόφωνος ἀμείβετο ποντιὰς Ἠχώ·
(387—390.) 387 χείλεσι δ' ἰκμαλέοισι μαχήμονα κόχλον ἐρείσας
εἰναλίῃ σάλπιγγι μέλος μυκήσατο Νηρεύς·
καὶ Θέτις ἐσμαράγησεν ἐνυαλίης μέλος ἠχοῦς
390 κύμασι πατρῴοισι προασπίζουσα Λυαίου.
(384—386.) 384 καὶ στόλον ἰθύνουσα μαχήμονα Δηριαδῆος
ὑσμίνης Ἔρις ἦρχε· Διωνύσοιο δὲ νηῶν
386 Ἰνδοφόνῳ παλάμῃ κολπώσατο λαίφεα Νίκη.
(348—360.) 348 καὶ στόλος ἀμφοτέρων τετράζυγον εἶχεν ἐνυώ,
ὧν ὃ μὲν ἀντιπόροιο περὶ ῥάχιν αἴθοπος Εὔρου,
350 ὃς δὲ Λιβὸς δροσεροῖο παρὰ πτερόν, ὃς δὲ Βορῆος,
καὶ Νοτίην παρὰ πέζαν. ἀμοιβαίῃσι δὲ ῥιπαῖς

V. 124. Vulgo ἵστατο. Graefius tentabat ἴαχε vel ἔκτυπε.

Μορρεὺς μὲν ταχύγουνος ἀφ᾽ ὁλκάδος ὁλκάδα βαίνων
Βασσαρίδων ἐφόβησεν ἀλιπτοίητον ἐνυώ,
πεζὸς ἀριστεύων καὶ ἐν ὕδασιν· ἀλλά ἑ θύρσῳ
Εὔιος οὐτήσας διερῆς ἀνεσείρασε χάρμης,
καὶ μογέων ὀδύνῃσιν ἐπὶ πτόλιν ᾤχετο Μορρεύς.
ὄφρα μὲν ἔνθεον ἕλκος, ὅ μιν λάχε, δαιμονίῃ χεὶρ
λυσιπόνου Βραχμῆνος ἀκέσσατο Φοιβάδι τέχνῃ,
θεσπεσίῃ λάλον ὕμνον ὑποτρύζοντος ἀοιδῇ,
τόφρα δὲ δυσμενέεσσιν ἐπέχραε Λύδιος ἄρης,
(300.) 300 Βακχιάδες τε φάλαγγες ἐπέδραμον αἴθοπι λαῷ,
(222—227.) 222 καὶ διδύμαις στρατιῇσιν ἐπέκτυπε πόντιος ἄρης
χερσαίην μετὰ δῆριν, ἁλιρροίζῳ δ᾽ ἀλαλήτῳ
ὁλκάσι Βακχείῃσιν ἐπέρρεον ὁλκάδες Ἰνδῶν·
καὶ φόνος ἦν ἑκάτερθε, καὶ ἔζεε κύματα λύθρῳ,
καὶ πολὺς ἀμφοτέρων στρατὸς ἤριπεν· ἀρτιχύτῳ δὲ
αἵματι κυανέης ἐρυθαίνετο νῶτα θαλάσσης.
(312—339.) 312 ἀμφοτέρης δὲ φάλαγγος ἐν ἠέρι ῥοῖζον ἰάλλων
ἔρρεεν ἀπλανέων δολιχόσκιος ὄμβρος ὀϊστῶν·
ὧν ὃ μὲν ἱστὸν ἔβαλλε μεσαίτατον, ὃς δὲ περήσας
ἱστίον εὐδίνητον ἐβόμβεε σύνδρομος αὔραις,
ἄλλος ἔην προτόνοισι πεπαρμένος, ὃς δὲ μεσόδμῃ
κεῖτο πεσών, ἕτερος δὲ δι᾽ ἠέρος ἰὸς ἀλήτης
ἀκροτάτης ἐτύχησεν ἀερσιλόφοιο κεραίης,
σέλμασι δ᾽ ἄλλος ἔην τετανυσμένος· ἀγχιφανῆ δὲ
πολλὰ κυβερνητῆρος ἀποπλαγχθέντα βέλεμνα
ἄστατα πηδαλίοιο διέξεσεν ἄκρα κόρυμβα·
καὶ Φλόγιος κλυτότοξος ὑπηνέμιον βέλος ἕλκων
ἰκρία νηὸς ἔβαλλε καὶ οὐκ ἐτύχησε Λυαίου.
ἦν δ᾽ ἐσιδεῖν κατὰ πόντον εὔπτερον ἰὸν ἀλήτην

V. 354. Vulgo ἶσος pro πεζός. Graefius tentabat ἶσον.
V. 359. λάχον editt. antt.; μάγον speciose Graefius, sed λάλον codex Monacensis.
V. 300. Vulgo ἐπέχραον.
V. 315. Vulgo ἄλλα κυβ. ἀποπλ. κελεύθου, in quo duplicem ob causam offendebat Graefius, ut et lacunam subesse et pro inepto κελεύθου scribendum καρήνου conjiceret. Hoc recepto etiam v. 321 δούρατα pro ἄστατα scribi potuit. Nostrum tamen verisimilius visum.

πουλύποδος σκολιοῖσι περιπλεχθέντα κορύμβοις·
ἄλλου δ' ἤμβροτεν ἄλλος· Ἐρυθραίῳ δὲ σιδήρῳ
πομπίλον ἄλλος ἔτυψε καταιχμάζων Διονύσου·
ἔγχεϊ δ' ἠκόντιζε Κορύμβασος, ὄφρα τυχήσῃ
ὁλκαίης Σατύροιο, παραΐξασα δὲ λόγχη
ἰχθύος ἰθυπόροιο κατέγραφε δίζυγον οὐρὴν
θηγαλέῃ γλωχῖνι· τιτυσκόμενος δὲ σιδήρῳ
εἰς σκοπὸν ἀχρήιστον ἀνουτήτου Διονύσου
Δηριάδης δόρυ πέμπεν, ἀποπλαγχθεῖσα δὲ Βάκχου
εἰς ῥαχίην δελφῖνος ἐποίπνυε λοίγιος αἰχμή,
κυρτὸς ὅπῃ λοφιῇσι συνάπτεται ἰχθύος αὐχήν,
δελφὶς δ' αὐτοέλικτος ἐθήμονι κυκλάδι νύσσῃ
ἡμιθανὴς σκίρτησε χορίτιδος ἅλματι Μοίρης·
πολλοὶ δ' ἔνθα καὶ ἔνθα κυβιστητῆρες ὀλέθρου
ἰχθύες ὠρχήσαντο χαρασσομένων ἐπὶ νώτων.

(131–217.) 131 Τοῖσι δὲ μαρναμένοισιν ἔην κλόνος, ὦρτο δ' ἰωὴ
κεκλομένων· * * * * *
* καὶ λαὸς ἐθήμονι μάρνατο τέχνῃ
κυκλώσας στεφανηδὸν ὅλον στρατόν, ἐν δ' ἄρα μέσσῳ
νηυσὶν ὁμοζυγέεσσιν ἐμιτρώθη στόλος Ἰνδῶν
εἰς λίνον ἐργομένων νεπόδων τύπον· Αἰακίδαις δὲ
Αἰακὸς ὑγρὸν ἄρηα προθεσπίζων Σαλαμῖνος
ἀρχόμενος πολέμοιο θεουδέα ῥήξατο φωνήν·
»εἰ πάρος ἡμετέρην ἀίων ἱκετήσιον ἠχώ
ἄσπορον εὐρυάλωος ἀπήλασας αὐχμὸν ἀρούρης
διψαλέην ἐπὶ γαῖαν ἄγων βιοτήσιον ὕδωρ,
δὸς πάλιν ὀψιτέλεστον ἴσην χάριν, ὕετιε Ζεῦ,
ὕδατι κυδαίνων με καὶ ἐνθάδε· καί τις ἐνίψῃ
νίκην ἡμετέρην δεδοκημένος »ὡς ἐνὶ γαίῃ
Ζεὺς ἑὸν υἷα γέραιρε, καὶ ἐν πελάγεσσι γεραίρει.«

V. 339. ἀπὸ editt. antt.; ὑπὸ Graefius. Emendavi jam olim in Zimmermanni annall. antiq. anni 1836, p. 653.

V. 132. Nisi violentius pro κεκλομένων scribi velis Μυρμιδόνων, lacunam statuas necesse est. Diserte enim de Aeaci et fortasse etiam de Erechthei copiis hic sermonem esse indicari debebat.

V. 143 sqq. Orationis directae signa ponenda erant. Vulgo δεδοκημένος, ὡς etc.

ἄλλος ἀνὴρ λέξειεν Ἀχαιικός »εἰν ἐνὶ θεσμῷ
Αἰακὸς Ἰνδοφόνος φυσίζοος· ἀμφότερον γάρ,
τέμνων ἐχθρὰ κάρηνα καὶ αὔλακι καρπὸν ὀπάσσας,
χάρμα πόρεν Δήμητρι καὶ εὐφροσύνην Διονύσῳ.«
ῥύεο δ' ἡμετέρης πλόον ὁλκάδος· αὐσταλέῳ δὲ
ὡς χθονίῳ κενεῶνι φερέσβιον ἤγαγον ὕδωρ,
καὶ βυθίων λαγόνων θανατηφόρον οἶδμα κορύσσω
μαρνάμενον στρατιῇσι καὶ ὁλκάσι Δηριαδῆος.
ἀλλά, πάτερ, σκηπτοῦχε βίου, σκηπτοῦχε κυδοιμοῦ,
πέμπε μοι αἰετὸν ὄρνιν ἐμῆς κήρυκα γενέθλης
δεξιτερὸν προμάχοισι καὶ ὑμετέρῳ Διονύσῳ·
ἄλλος δ' ἀντιβίοισιν ἀριστερὸς ὄρνις ἱκέσθω·
σύμβολα δ' ἀμφοτέροις ἑτερότροπα ταῦτα γενέσθω·
τὸν μὲν ἐσαθρήσω πεφορημένον ἅρπαγι ταρσῷ
θηγαλέων ὀνύχων κεχαραγμένον ὀξέι κέντρῳ
νεκρὸν ὄφιν περίμετρον ἀερτάζοντα κεραστήν,
δυσμενέος κερόεντος ἀπαγγέλλοντα τελευτήν·
λαῷ δ' ἀντιβίων ἕτερος μελανόχροος ἔλθῃ
κυανέαις πτερύγεσσι προθεσπίζων φόνον Ἰνδῶν,
αὐτομάτου θανάτοιο μέλαν τύπον· ἢν δ' ἐθελήσῃς,
βρονταίοις πατάγοισιν ἐμὴν μαντεύεο νίκην,
καὶ στεροπὴν Βρομίοιο λεχώια φέγγεα πέμπων
υἱέα σεῖο γέραιρε πάλιν πυρί, δυσμενέων δὲ
ὁλκάδας εὐπήληκας ὀιστεύσωσι κεραυνοί.
ναί, πάτερ, Αἰγίνης μιμνήσκεο, μὴ σέο νύμφης
νυμφίον αἰσχύνειας ὁμόπτερον ὄρνιν Ἐρώτων.«
ὣς εἰπὼν πολέμιζεν. ἐς ἠερίας δὲ κελεύθους
ὄμμα παλιννόστοιο βαλὼν ἀντώπιον ἄρκτου
γαμβρὸν ἑὸν λιτάνευε καὶ ἴαχε μῦθον Ἐρεχθεύς·
»γαμβρὸς ἐμὸς Βορέης, θωρήσσεο, καὶ σέο νύμφης
μαρναμένῳ γενετῆρι βοηθόον ἆσθμα τιταίνων

V. 147. Vulgo κτείνων. Emendavi l. c.
V. 149. αὐσταλέου ed. pr., quod jam Falkenburgius emendavit, perperam repudiatus a Graefio lacunam post hunc v. statuente.
V. 151. Vulgo καὶ χθονίων.
V. 164. Vulgo αὐτόματον.

ἕδνα τεοῦ θαλάμοιο θαλασσαίην πόρε νίκην·
ὁλκάσι μὲν Βρομίοιο φέρων νησσόον αὔρην
δὸς χάριν ἀμφοτέροισιν, Ἐρεχθέι καὶ Διονύσῳ·
νηυσὶ δὲ Δηριάδαο μεμηνότα πόντον ἱμάσσων
ἄσθματι κυματόεντι τεὰς θώρηξον ἀέλλας·
— ἐσσὶ γὰρ ὑσμίνης ἐμπείραμος, ὅττι καὶ αὐτὸς
Θρήκην ναιετάεις, ἐμπείραμος, οἷά περ Ἄρης —
ἀντιβίων δὲ φάλαγγι δυσήνεμον ἆσθμα κομίζων
ἔγχεϊ παχνήεντι κορύσσεο Δηριαδῆι·
στήσας δ' ἀντιβίοισι θυελλήεσσαν ἐνυώ
δυσμενέας τόξευε χαλαζήεντι βελέμνῳ,
καὶ Διὶ πιστὰ φέρων καὶ Παλλάδι καὶ Διονύσῳ.
μνώεο Κεκροπίης εὐπαρθένου, ἧχι γυναῖκες
κερκίδι ποικίλλουσι τεῶν ὑμέναιον ἐρώτων·
Ἰλισσὸν δὲ γέραιρε γαμοστόλον, ὀππόθι κούρην
Ἀτθίδα σὴν παράκοιτιν ἀνήρπασαν ἅρπαγες αὖραι
ἑζομένην ἀτίνακτον ἀκινήτῳ σέθεν ὤμῳ.
οἶδα μέν, ὡς συνάεθλος ἐλεύσεται ἄλλος ἀήτης
γείτων ἀντιβίοισιν Ἑώιος· ἀλλ' ἐνὶ χάρμῃ
οὐ τρομέω θρασὺν Εὖρον, ὅτι πτερόεντες ἀῆται
πάντες, ὅσοι πνείουσιν, ὀπάονές εἰσι Βορῆος·
καὶ πρόμος Αἰθιόπων Νοτίης ἐπὶ πέζαν ἀρούρης
μηκέτι νοστήσειε Κορύμβασος, ἀλλὰ δαμείη
θερμὸν ἔχων συνάεθλον ἑὸν Νότον Αἰθιοπῆα,
ψυχρὸν ὑπὲρ πόντοιο πιὼν θανατηφόρον ὕδωρ·
οὐκ ἀλέγω Ζεφύροιο, κορυσσομένοιο Βορῆος.
δεῖξον ὁμοφροσύνην ἑκυρῷ σέθεν· οὐρανόθεν δὲ
σὺν σοὶ Βακχιάδεσσιν ἐμαῖς στρατιῇσιν ἀρήξει
μαρνάμενος τριόδοντι Ποσειδάων καὶ Ἀθήνη,
ἣ μὲν ἑοῖς ναέτῃσιν, ὃ δὲ γνωτοῖο γενέθλῃ·
καὶ πυρόεις Ἥφαιστος Ἐρεχθέος αἷμα γεραίρων
ἵξεται εὐάντητος ἐς ὑδατόεσσαν ἐνυώ,
ὁλκάδι Δηριάδαο μαχήμονα πυρσὸν ἑλίσσων.
δὸς δέ με νικῆσαι καὶ ἐν ὕδασι, καὶ μετὰ νίκην

V. 197. Vulgo *Νοτίην*.

Κεκροπίη κομίσειεν ἀπήμονα λαὸν Ἐρεχθεύς,
καὶ Βορέην μέλψωσι καὶ Ὠρείθυιαν Ἀθῆναι.«
τοῖον ἔπος βοόων ἁλιδινέος ἥψατο χάρμης
κάρτεϊ τεχνήεντι, καὶ ὡς ναέτης Μαραθῶνος
ναύμαχον εἶχεν ἔρωτα· φιληρέτμῳ δὲ κυδοιμῷ
ἦν κλόνος, ἦεν ἄρης τότε ναυτίλος, ἐν παλάμῃ δὲ
πηδάλιον Φόβος εἶχε, κυβερνήτης δὲ κυδοιμοῦ
Δεῖμος ἀκοντοφόρων ἀνελύσατο πείσματα νηῶν.
(377—383.) 377 καὶ πισύραις κατὰ πόντον ἐφιππεύοντες ἀέλλαις
κύματα πυργώσαντες ἐθωρήχθησαν ἀῆται,
οἳ μὲν Δηριαδῆος ἀρηγόνες, οἳ δὲ Λυαίου,
δυσμενέων ἐθέλοντες ἀιστῶσαι στίχα νηῶν.
καὶ Ζέφυρος κεκόρυστο, Νότος δ' ἐπεσύρισεν Εὔρῳ,
καὶ Βορέης Θρήισσαν ἄγων ἀντίπνοον αὔρην
ἄγρια μαινομένης ἐπεμάστιε νῶτα θαλάσσης.
(361—371.) 361 τοῖσι μὲν ἐγρεκύδοιμος ἔην πλόος, εἶχε δ' ἐννοῦς
ναυτιλίην προκέλευθον, ἁλισμαράγου δὲ κυδοιμοῦ
ἦν κλόνος ἀμφοτέρων ἑτορότροπος· ἀντιβίων γάρ
ὅσσοι μὲν κραναοῖσιν ὀιστεύοντο βελέμνοις
ἢ φονίοις πετάλοισιν ἢ ἔγχεσιν ἠὲ μαχαίραις,
χεῖρας ἐρετμώσαντες ἀήθεας εἰς μέλαν ὕδωρ
ἴχνεσιν ἀσταθέεσσιν ἐτυμβεύοντο θαλάσσης·
εἰ δέ τις εἰς ἅλα πῖπτε τυπεὶς Βρομίοιο μαχητής,
αἰθύσσων παλάμας ἐπενήχετο κύματα τέμνων
χερσὶ θαλασσοπόροισιν, ἁλιρροίζῳ δὲ κυδοιμῷ
μαρνάμενος ῥοθίοισι μετ' ἀνέρας ἔσχισεν ὕδωρ.
(301—305.) 301 κεῖτο δὲ δυσμενέων στρατὸς ἄσπετος, ὧν ἐνὶ χάρμῃ
βαλλομένων ξιφέεσσι καὶ ὀξυτέροισιν ὀιστοῖς
τοῦ μὲν ὑπὲρ λαπάρην βέλος ἔμπεσε, τοῦ δὲ τυπέντος

V. 213. Vulgo ἔγχεϊ. Graefius erroris sede non intellecta vel κολλήεντι ex v. 83 sq. vel τολμήεντι tentabat. Cfr. v. 132—135.
V. 215. Vulgo ἦν στόλος. Emendavit Graefius.
V. 379 sq. Perperam Graefius hos duos versus sedem suam commutare jussit.
V. 361 sq. Vulgo Ἐννὼ ναυτιλίης.
V. 365. Vulgo μαχαίρῃ.
V. 367. θαλάσσης edd. antt., pro quo Graefius θαλάσσῃ scripsit.
V. 370. Vulgo θαλασσομόθοισιν. Poterat etiam θαλασσονόμοισιν scribi.

ἔγχεϊ χαλκείῳ μεσάτης ὑπὲρ ἄντυγα κόρσης
ὠτειλὴ βεβάθυστο χαρασσομένοιο καρήνου.
(344—347.) 344 καί τις ἀκοντισθεῖσα δι᾽ ὁλκάδος ὁλκάδι γείτων
ἀμφοτέρας ἔζευξεν ἁλίδρομος ἔγχεος αἰχμή,
νῆας ἐπισφίγξασα δύο ξυνήονι δεσμῷ
στεινομένων νεφεληδόν, ἔην δ᾽ ἑτερόκτυπος ἠχώ·
(306—311.) 306 πολλοὶ δ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα πολυσπερέων ἐλατήρων
πόντον ἀμοιβαίοισιν ἀνασχίζοντες ἐρετμοῖς
κυανέην λεύκαινον ἐπασσυτέρῳ χύσιν ἀφρῷ,
καὶ πόνος ἦν ἀνόνητος ἐπειγομένων ἐλατήρων,
συμφερτοὺς δὲ κάλωας ἀοσσητῆρι σιδήρῳ
ἰθυντὴρ ἀπέκοψε καὶ ἔσχισεν ἄορι σειρήν.
(218—221.) 218 Κυκλώπων δὲ φάλαγγες ἐναυτίλλοντο θαλάσσῃ
ὁλκάδας ἀγχιάλοισιν ὀιστεύοντες ἐρίπναις·
Εὐρύαλος δ᾽ ἀλάλαζεν, ἁλιρροίζῳ δὲ κυδοιμῷ
ἀγχινεφὴς οἴστρησεν ἐς ὑσμίνην Ἁλιμήδης

— — — — — — —

(340—343.) 340 καὶ Στερόπης προμάχιζεν, ἀερσιπόδης δ᾽ Ἁλιμήδης
χειρὶ λαβὼν πρηῶνα θαλασσοτόκοιο κολώνης
ῥῖψεν ἐπ᾽ ἀντιβίοισιν· ἔδυνε δὲ φοιταλέη νηῦς
τρηχαλέου βληθεῖσα λίθου τροχοειδέι κύκλῳ.
(257—294.) 257 καὶ βυθίη Γαλάτεια θαλασσαίου διὰ κόλπου
ἡμιφανὴς πεφόρητο διαξύουσα γαλήνην,
καὶ φονίου Κύκλωπος ἁλιπτοίητον ἐνυὼ
δερκομένη δεδόνητο, φόβῳ δ᾽ ἤμειψε παρειάς·
ἔλπετο γὰρ Πολύφημον ἰδεῖν κατὰ φύλοπιν Ἰνδῶν
ἀντία Δηριάδαο συναιχμάζοντα Λυαίῳ·
ταρβαλέη δ᾽ ἱκέτευε θαλασσαίην Ἀφροδίτην
υἷα Ποσειδάωνος ἀριστεύοντα σαῶσαι,
καὶ γενέτην φιλότεκνον ἐφ᾽ υἱέι Κυανοχαίτην
μαρναμένου λιτάνευε προασπίζειν Πολυφήμου.

V. 308. Vulgo ἐπασσυτέρην.

V. 219. ἀγχιάλοισιν cod. Monacensis; vulgo ἀγχιάλῃσιν.

V. 221. Graefius recte monuit Nonnum οἰστρέω tantum transitivum agnoscere. Sed nihil mutandum, verum plurium versuum lacuna subesse videtur, qua etiam ceterorum Cyclopum nomina hausta sunt.

καὶ βυθίου τριόδοντος ἐκυκλώσαντο φορῆα
θυγατέρες Νηρῆος· ἐρειδόμενος δὲ τριαίνῃ
πόντιος Ἐννοσίγαιος ἐδέρκετο γείτονα χάρμην.
καὶ στρατὸν εὐθώρηκος ὀπιπεύων Διονύσου
ζηλήμων ὀρόων ἑτέρου Κύκλωπος ἐνυώ
ὑγρομόθῳ Βρομίῳ πολυμεμφέα ῥήξατο φωνήν·
  νεῖς ἐνοπήν, φίλε Βάκχε, τόσους Κύκλωπας ἀγείρων.
καλλείψας δ' ἕνα μοῦνον ἀπόπροθι δηιοτῆτος
εἰς χρόνον ἑπταέτηρον ἔχεις πολύκυκλον ἀγῶνα,
βόσκων ἀλλοπρόσαλλον ἀτέρμονος ἐλπίδα χάρμης.
ὅττι τεοῦ μεγάλοιο προασπιστῆρες ἀγῶνος
πάντες ἑνὸς χατέουσιν ἀνικήτου Πολυφήμου·
εἰ δὲ τεὴν ἐπὶ δῆριν ἐμὸς πάις ἵκετο Κύκλωψ,
281 πατρῴην δ' ἐλέλιξεν ἐμῆς γλωχῖνα τριαίνης,
280 καί κεν ὑπὲρ πεδίοιο συναιχμάζων Διονύσῳ
284 στήθεα βουκεράοιο διέθλασε Δηριαδῆος,
282 καὶ πολὺν ἐχθρὸν ὅμιλον ἐμῷ τριόδοντι δαΐζων
283 εἰς μίαν ἠριγένειαν ὅλον γένος ἔκτανεν Ἰνδῶν.
285 υἱὸς ἐμὸς πάλιν ἄλλος ἔχων ἑκατοντάδα χειρῶν
Τιτήνων ὀλετῆρι τεῷ χραίσμησε τοκῆι,
Αἰγαίων πολύπηχυς, ὅτε Κρόνον εἰς φόβον ἕλκων
ἠλιβάτων ἐτίταινε πολυσπερὲς ἔθνος ἀγοστῶν,
ἠέλιον σκιόωσαν ἔχων ὑψαύχενα χαίτην,
καὶ βλοσυροὶ Τιτῆνες ἐνοσφίσθησαν Ὀλύμπου
εὐπαλάμου Βριαρῆος ὑποπτήσσοντες ἐνυώ.
  τοῖον ἔπος φθονέων νεμεσήμονι πέφραδε φωνῇ,
αἰδομένη δὲ Θόωσα κατηφέας εἶχε παρειάς,
ἄρεϊ μὴ παρεόντος ἐρωμανέος Πολυφήμου.
391 Εὐρυμέδων δὲ Κάβειρος ἐθήμονα δαλὸν ἀείρων
ὑσμίνης δόλον εὗρεν ἀρηγόνα· μηκεδανὴν γὰρ
νηῦν ἰδίην ἔφλεξεν ἑκούσιον αὐάμενος πῦρ·

V. 280—84. Vulgatum versuum ordinem mutavi, quo retento Graefius v. 283 »aperte superfluum« esse pronuntiavit. Poterant etiam sic poni: 281. 280. 283. 282. 284. Tum vulgo et δ' v. 281 omissum, et v. 282 Ἰνδὸν pro ἐχθρὸν scriptum.

V. 393. Vulgo νῆ' ἰδίην, quod falsum esse jam Graefius vidit: νηῦν ἰδίην emendavit Wernick. ad Tryphiod. p. 165.

νηυσὶ δ᾽ ἐπ᾽ ἀντιβίοισιν ἐπέτρεχε φοιταλέη νηῦς
νεύμασι Βακχείοισι περισκαίρουσα θαλάσσῃ,
καὶ λοξαῖς ἑλίκεσσιν ἀφ᾽ ὁλκάδος ὁλκάδα βαίνων
κύκλον ἐς αὐτοέλικτον ἐνήχετο πυρσὸς ἀλήτης,
καίων ἔνθα καὶ ἔνθα πολυσπερέων στίχα νηῶν·
καὶ σέλας ἀθρήσασα πυριβλήτοιο θαλάσσης
Νηρεῒς ἀκρήδεμνος ἐδύσατο βένθεα πόντου,
αἰθομένου φεύγουσα δι᾽ ὕδατος ἰκμαλέον πῦρ.
χάζετο δ᾽ Ἰνδὸς ὅμιλος ἐπὶ χθόνα, πόντον ἐάσας·
καὶ Φαέθων ἐγέλασσεν, ὅτι προτέρους μετὰ δεσμοὺς
ἐκ πυρὸς Ἡφαίστοιο πάλιν φύγε ναύμαχος Ἄρης·
Δηριάδης δ᾽ ἀκίχητος ἰδὼν φλόγα σύνδρομον αὔραις
εἰς πεδίον πεπότητο θοώτερα γούνατα πάλλων,
φεύγων ὑγρὸν ἄρηα θαλασσομόθου Διονύσου.

(372—376.) Εἰναλίης δὲ τάλαντα μάχης ἔκλινε Κρονίων,
νίκην ὑδατόεσσαν ἐπευτύνων Διονύσῳ·
καὶ βυθίῳ τριόδοντι κορύσσετο Κυανοχαίτης
μαρνάμενος δηίοισι, καὶ ἄβροχον ἡνιοχεύων
ἅρμα Ποσειδάωνος ἐβακχεύθη Μελικέρτης.

(228—256.) πολλοὶ δ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα χυτῷ πίπτοντες ὀλέθρῳ
οἰδαλέοι πλωτῆρες ἐναυτίλλοντο θαλάσσῃ·
καὶ ῥοθίοις ἑλικηδὸν ἔχων πορθμῆας ἀήτας
σύρετο νεκρὸς ὅμιλος ἀφειδέι σύνδρομος αὔρῃ·
πολλοὶ δ᾽ αὐτοκύλιστον ὑπὸ στροφάλιγγι κυδοιμοῦ
εἰς ῥόον ὠλίσθησαν, ἀναγκαίῃ δὲ πιόντες
πικρὸν ὕδωρ ἐνόησαν ὑποβρυχίης λίνα Μοίρης,
βριθόμενοι θώρηκι· καὶ οἰδαλέων μέλαν ὕδωρ
κυανέων ἐκάλυπτεν ὁμόχροα σώματα νεκρῶν
βένθεϊ φυκιόεντι, σὺν ὑγροπόρῳ δὲ φορῆι
χάλκεος ἰλυόεντι χιτὼν ἐκαλύπτετο πηλῷ·
καὶ τάφος ἔπλετο πόντος. ἐτυμβεύοντο δὲ πολλοὶ
κητείοις γενύεσσιν, ἐν ἰχθυόεντι δὲ λαιμῷ
ἄπνοον αἰθύσσουσα νέκυν τυμβεύσατο φώκη,
ξανθὸν ἐρευγομένη ῥόον αἵματος. ὀλλυμένων δὲ

V. 232. Vulgo στροφάλιγγα.

τεύχεα πόντος ἔδεκτο, νεοσφαγέος δὲ φορῆος
αὐτομάτη λοφόεσσα δι' ὕδατος ἔπλεε πήληξ
δεσμοῦ λυομένοιο, θυελλήεντι δὲ πολλῆς
χεύματι φοιταλέης ἐπενήχετο κύκλα βοείης
σὺν διερῷ τελαμῶνι. πολὺς δ' ἐπὶ κύμασιν ἄκροις
ἀφρὸς ἐρευθιόων πολιῆς ἀνεκήκιεν ἅλμης
αἱμαλέῳ πάνλευκον ὑποστίξας χύσιν ὁλκῷ.
καὶ φονίαις λιβάδεσσιν ἐφοινίχθη Μελικέρτης·
Λευκοθέη δ' ὀλόλυξε τιθηνήτειρα Λυαίου
αὐχένα γαῦρον ἔχουσα, καὶ Ἰνδοφόνου περὶ νίκης
ἄνθεϊ φυκιόεντι κόμην ἐστέψατο Νύμφη·
καὶ Θέτις ἀκρήδεμνος ὑπερκύψασα θαλάσσης
χεῖρας ἐρεισαμένη καὶ Δωρίδι καὶ Πανοπείῃ
ἄσμενον ὄμμα τίταινεν ἐπ' εὐθύρσῳ Διονύσῳ.
(295—299.) ὡς δὲ μόθου τέλος ἦεν ἐριφλοίσβου τε κυδοιμοῦ,
ἠθάδα πόντον ὄπωπε κατάρρυτον αἵματι Νηρεύς·
ξανθῆς δ' Ἐννοσίγαιος ἐθάμβεε νῶτα θαλάσσης,
ἰχθύας ἀνδροφάγους ὁρόων καὶ πληθύι νεκρῶν
γείτονος ἄβροχα νῶτα γεφυρωθέντα θαλάσσης.

Quamquam haec tam bene cohaerent, id ut vel obiter percurrenti per se appareat, haud abs re tamen putaverim pugnae suum in ordinem restitutae argumentum breviter enarrare.

Navibus utrimque paratis orationibusque a Deriade et Baccho habitis „classica pulsa" dum utrimque pugnae signum dant (v. 123—130), ex diis marinis Baccho amicis (cfr. v. 95—110) Nereus cavae buccinae inspirat, Thetis fluctuum strepitu Bacchum salutat[1]), Eris Deriadis[2]), Victoria Bacchi classem in proelium ducit (v. 387—390. 384—386).

Jam consentaneum erat utrarumque copiarum aciem memorari: quadruplex ea fuit ad quatuor ventorum principum plagas conversa (v. 348—351).

V. 247. Vulgo ὑπὸ κύμασιν.

¹) Hoc quidem ad imitationem Homeri Δ 45 sq.
— ἐπὶ δ' ἐγδούπησαν Ἀθηναίη τε καὶ Ἥρη,
τιμῶσαι βασιλῆα πολυχρύσοιο Μυκήνης.

²) De Eride cfr. Δ 440. Λ 3 sqq. 73 sqq.

Dum etiam appropinquant, Morrheus[1]) et ingentis staturae (cfr. 34, 180–183) et velocissimae agilitatis (*ταχύγουνος*) ab alia navi ad aliam alternis saltibus transgrediens[2]) magnum Bacchi copiis incutit terrorem, donec ille thyrso vulneratum tumultu exire atque domum redire cogit (v. 351—356). Haec igitur communis martis quasi prolusio: dum enim Morrheus Brachmani cujusdam manibus curatur, magna utrimque vi confligitur, ut haud pauci utrimque confestim interficiantur (v. 357—360. 300. 222—227).

Tamen, cum etiamtum ut in primo congressu sagittis tantum hastisque eminus uterentur, singulare in hac quidem pugna hoc accidit, quod magna emissorum telorum pars a scopo aberrans aut in variis navium partibus defixa est, cujus rei exemplum Phlogius Indus proponitur tabulata navis pro ipso Baccho feriens (v. 311—323), aut in mare delapsa belluarum marinarum corporibus incidit, cujus rei magis etiam curiosae duo afferuntur exempla, Corymbasi aliud, qui pro Satyri cauda piscis caudam stringit, aliud ipsius Deriadis, qui hasta in Bacchum vibrata delphini spinam dorsalem percutit (v. 324—339).

Jam vero hoc modo cum vix ac ne vix quidem res videretur ad certum perduci posse eventum, necesse erat singulari aliquo facinore etiam cominus pugnandi initium fieri. Id vero facinus cui tantum Bacchicae classis parti accommodatius adscriberetur, quam Aeginetis atque Atheniensibus, quorum posteri nobilissimam pugnae Salaminiae palmam reportaturi essent[3])? Hi igitur non solum telis eminus pugnant, quod et ipsum eos fecisse cum ex v. 217 *ἀκοντοφόρων πείσματα νηῶν* apparet tum ex hostium strage v. 301—305 descripta[4]), sed etiam solita arte usi ipsis

---

1) De Morrheo vide sis Reinholdum Koehlerum in libro bonae frugis plenissimo, qui inscribitur »Ueber die Dionysiaca des Nonnus. Halle 1853«, p. 53—55.

2) Hic quidem sine dubio ob oculos habuit Ajacem Homericum *O* 676—688, inprimis illa v. 676 »*νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων*« et haec v. 683 sq. »*ἐπὶ πολλὰ θοάων ἴκρια νηῶν Φοίτα μακρὰ βιβάς.*« Hinc certo certius v. 354 *πεζός* emendandum fuit: ipsi Gigantei praesultoris gradus Bacchicis horrori fuerunt.

3) Vid. Herod. VIII, 93 »*ἐν δὲ τῇ ναυμαχίᾳ ταύτῃ ἤκουσαν Ἑλλήνων ἄριστα Αἰγινῆται, ἐπὶ δὲ Ἀθηναῖοι*«, quam gloriam aperte respicit Nonnus v. 135 sq. — *Αἰακίδαις δὲ Αἰακὸς ὑγρὸν ἄρηα προθεσπίζων Σαλαμῖνος Ἀρχόμενος πολέμοιο θεουδέα ῥήξατο φωνήν.*

4) Athenienses militiae navalis gratia fere solos ex omnibus Graecis praeter gravem armaturam etiam sagittandi arti operam dedisse atque sagittarios civium ex numero habuisse notavimus in rei Graecorum militaris historia p. 54. Eorum usum in Salaminia pugna memoravit Aesch. Pers. 460 sq., in Plataeensi Herod. IX, 60, quod etiam innuere

navibus in hostium classem undique cinctam et compressam[1]) impetum faciunt (v. 131—135), ita ut vel remigandi labor naviumque incursus hostibus perniciem afferat (vid. v. 212—217 et inprimis haec *φιληρέτμῳ δὲ κυδοιμῷ Ἦν κλόνος, ᾖεν ἄρης τότε ναυτίλος;* et cfr. v. 149 *ῥύεο δ' ἡμετέρης πλόον ὁλκάδος* atque v. 361 sqq. et inprimis illa *τοῖσι μὲν ἐγρεκύδοιμος ἔην πλόος*). Hanc tam insignem impressionem etiam orationibus exornari fas erat: hinc et Aeacus Jovem patrem implorat beneficii divini argute memor, quo olim Aeginam insulam siccitate laborantem aqua sublevaverat, et Erechtheus Boream generum de ceteris ventis securus, qui etiam si Indis opem sint laturi, vehementiore illius flatu superentur (v. 135 — 211). Neque aut Boreas preces aut ceteri venti convicium Erechthei negligunt: imo ad unum omnes mari inequitantes fluctus vehementissime concitant, partim Baccho, partim Deriadi auxiliatores (v. 377—383). Praeviderat hoc, ut videtur, Bacchus, qui quidem consilium ventos quoque quippe cunctos sibi secundos in bellum conciendi celeriter abjecerat, ut supra narrabatur v. 111—122. Erechtheus vero ut Boreae socer plus sibi et poterat et vero debebat arrogare, cum gener etiam in belli Persici[2]) angustiis posterorum vota exauditurus esset.

Acriter igitur Aeginetarum atque Atheniensium navibus ingruentibus idem usu venit, quo etiam in pugna Salaminia Graeci[3]) barbaris superiores

---

videtur Simon. epigr. 200 ed. Schneidewin.; cfr. nos l. c. p. 68. Bello Peloponnesiaco exorto non minus mille sexcentos fuisse ex Thucydide scimus II, 13, 8, qui etiam IV, 32, 2. 34, 3. quantum sexcentorum sagittariorum momentum in celeberrima Sphacteriensi expeditione fuerit perspicue narrat, quamquam Cleoni plus justo, ut opinor, infestus. Hinc jam melius intelligas, quid sit quod Sophocles Aj. 1120 – 1123 et disertius etiam Euripides Herc. fur. 188 – 204 arcuum usum tamquam non minus nobilem atque gravis armaturae data opera defendunt. Hoc notare supersedissem, nisi viderem interpretes fere omnes abusos Pausania I, 23, 4. rem non satis assecutos esse, ex quibus qui Ajacis loco adscripsit Athenis jam propter Scythas *τοξότας* sagittarii nomen infame fuisse, non cogitavit illos disciplinae publicae administros arcubus suis — si modo vere gestabant! — certe non minus raro usos esse quam ejusdem generis apud Helvetios apparitores tubis ignivomis, quibus armati semper ambulant vel nomen »venatorum publicorum — *Landjaeger* —« inde nacti!

[1]) Fortasse ante oculos habuit ipsum Aeschylum Pers. 417 sq.

Ἑλληνικαί τε νῆες οὐκ ἀφραδμόνως
κύκλῳ πέριξ ἔθεινον.

[2]) Vide Herod. VII, 189.

[3]) Vide Herod. VIII, 89. *Ἐν δὲ τῷ πόνῳ τούτῳ ἀπὸ μὲν ἔθανε ὁ στρατηγὸς Ἀριαβίγνης ὁ Δαρείου — ὀλίγοι δέ τινες καὶ Ἑλλήνων· ἅτε γὰρ νέειν ἐπιστάμενοι, τοῖσι αἱ νῆες διεφθείροντο καὶ μὴ ἐν χειρῶν νόμῳ ἀπολλύμενοι ἐς τὴν Σαλαμῖνα διένεον· τῶν δὲ βαρβάρων οἱ πολλοὶ ἐν τῇ θαλάσσῃ διεφθάρησαν νέειν οὐκ ἐπιστάμενοι.*

erant: quicunque Indorum vulnerati in mare delabebantur, fluctibus hausti sunt, quippe qui natandi ignari essent; Bacchi vero milites, quibus idem accidit, illius artis peritia egregie instructi facile evadebant (v. 361—371). Plurimi vero hostium ipsis telis varie confossi perierunt (v. 301—305). Accidit etiam in hoc navium arctissimo congressu, ut duas naves vehementiore unius hastae ictu transfixas et colligatas (v. 344—347) remigum labor utrimque intentus frustra disjungere studeret quamvis rudentium inter se complicatorum vinculis[1]) ense dissectis (v. 306—311).

Jam poëta cum satis, opinor, Aeginetarum atque Atheniensium certamen depinxisse sibi videretur, ad alios Bacchi bellatores transeundum sibi putavit. Quos vero potissimum eligeret — omnes enim singulatim enumerare et longum erat et ab ipsius ingenio alienum —, non difficile erat decernere: eos quidem variationis delectationisque gratia, quorum peculiaris indoles atque pugnandi ratio quam maxime a navali Aeginetarum atque Atheniensium peritia abhorreret. Hinc Cyclopes primum elegit robore et vi tremendos, saxorum ingentium jaculatores, quos haud dubie sine navibus innatantes pelago sibi finxit, ex quibus maxime Halimedes excellit cum ceteros ad pugnandum conciens tum ipse navem ingenti scopulo percussam demergens (v. 218—221; 340—343); ita ut et a Galatea amanter timida pro Polyphemo habeatur et Neptuno atque Thoosae Polyphemum a proelio abesse scientibus diversos animi motus, illi invidiam huic pudorem, injiciat (v. 257—294). Tum vero e Cabiris unum, Eurymedontem, inducit ad dolum insidiasque confugientem, qui face sua opportune usus propriam navem incendit atque ea in mediam hostium classem immissa flammas terroremque ubique propagat, ut cum ceteri Indi tum ipse Deriades in aquatili proelio ignem reveriti — in talibus enim acumen nostri exsultat! — ad terram refugere parent (v. 391—407).

Jam vero omnibus probe patratis

Ζεύς, ὅστ᾽ ἀνθρώπων ταμίης πολέμοιο τέτυκται[2])

lance inclinata Baccho victoriam tradit, quam et Neptunus tridente adjuvat cum Melicerta auriga „super alta vectus celeri curru maria“ (v. 372—376),

---

[1]) Hanc quoque rem haud scio an ex simplici narratione amplificaverit, quam Herod. VIII, 84 de Aminiae nave strenue in hostem irruente his verbis exhibuit: *συμπλακείσης δὲ τῆς νηὸς καὶ οὐ δυναμένων ἀπαλλαγῆναι οὕτω δὴ οἱ ἄλλοι Ἀμεινίῃ βοηθέοντες συνέμισγον.*

[2]) *T* 223 sq. quem locum respexit.

quae maria et summa cadaveribus armisque obducuntur huc illuc ventorum ludibrio circumvolutatis et ima viros aut cum armatura sua fundi limo obruunt aut piscium faucibus devorandos objiciunt, ut sanguinea spuma et undae rubeant et ipse Melicerta Thetide ceterisque Nereidibus de Bacchi victoria triumphantibus (v. 228—256); et jam omnibus ad finem (τέλος v. 295) perductis Nereus atque Neptunus fluctus cruentatos, pisces hominivoros, mortuorum ingentem stragem mirantur pontis instar mare contegentem (v. 295–299).

Ita apte narratio concluditur, quam bene riteque hoc ordine deductam esse nemo facile negabit.

Ultima p. 8 nota non ad v. 315, sed ad v. 320 pertinet!

INDEX LECTIONUM
IN
LITERARUM UNIVERSITATE TURICENSI
INDE
A DIE XVI. MENSIS APRILIS
USQUE
AD DIEM XVIII. MENSIS AUGUSTI MDCCCLV
HABENDARUM.

Rector magnificus: H. FREY, Dr.

I. Ordinis Theologorum.

Decanus: F. Hitzig, Dr. Theol.

1. Professorum ordinariorum.

F. Hitzig, Dr. Theol.

1) Introductionis in V. T. partem generalem ternis per hebdomadem horis tradet.
2) Jesaiae vaticinia quinis horis interpretabitur.
3) Pauli epistolas ad Ephesios et Colossenses scriptas binis horis explicabit.
4) De N. T. conversionibus orientalibus bis p. h. disputabit.

A. Schweizer, Dr. Theol.

1) Artem symbolicam ternis p. h. horis, et
2) Artem homileticam binis horis docebit.
3) Exercitationes homileticas bis p. h. moderabitur.

O. F. Fritzsche, Dr. Theol.

1) Jacobi et Joannis Apostolorum epistolas binis horis explanabit.
2) Exercitationes N. T. exegeticas Pauli alteram ad Corinthios epistolam interpretandam propositurus bis p. h. moderabitur.
3) Historiae ecclesiasticae partem priorem senis horis enarrabit.

C. Schlottmann, Licent. Theol.

1) Psalmos quinquies p. h. interpretabitur.
2) Evangelium Joannis totidem horis exponet.
3) Exercitationes N. T. exegeticas binis horis instituet.

2. Professorum extraordinariorum.

M. Ulrich, V. D. M.

1) Acta apostolorum ternis horis, et
2) Epistolam ad Hebraeos datam totidem horis interpretabitur.

A. E. Biedermann, V. D. M.

1) Quo ambitu et qua ratione studia ad theologiam pertinentia tractanda sint, bis p. h. docebit.

2) Artis dogmaticae partem priorem, doctrinam fidei biblicae complectentem, quaternis horis tradet.

3. *Privatim docentium.*

J. C. Usteri, Pastor Kilchberg.

1) Epistolarum a Paulo ad Corinthios scriptarum priorem binis horis explicabit.

2) De hominis et de Christi natura doctrinam ex libris N. T. bis p. h. exponet.

G. Volckmar, Dr. phil.

1) Introductionem in N. T. quaternis horis tradet.

2) Evangelium Matthaei ternis horis interpretabitur.

3) Religionis et ecclesiae christianae historiam quinis horis enarrabit.

C. Egli, Dr. phil.

1) Psalmos quaternis horis explicabit.

2) Israëlitarum certamina pro libertate a Mose inde usque ad Davidem suscepta ter p. h. enarrabit.

3) Exercitationes V. T. exegeticas binis horis moderabitur.

II. Ordinis Jureconsultorum.

Decanus: Jod. Temme, Dr.

1. *Professorum ordinariorum.*

Ed. Osenbrüggen, Dr.

1) Jus criminale Germanicum senis horis tradet.

2) Practicum ad jus criminale spectans bis p. h. moderabitur.

3) De literis ad juris prudentiam pertinentibus ter disputabit.

4) De juris scientia et studio singulas scholas habebit.

Br. Hildebrand, Dr.

1) Introductionem in disciplinarum politicarum et forensium studium quaternis horis tradet.

2) De optima oeconomiae publicae ratione quinis horis exponet.

3) Exercitationes societatis in disciplinis politicis versantis bis p. h. moderabitur.

Jod. Temme, Dr.

1) Processum civilem Germanicum communem quinis horis docebit.

2) Processum criminalem Germanicum communem totidem horis tradet.

3) Practicum ad processum civilem spectans bis p. h. moderabitur.

J. Rüttimann, Dr.

1) De jure hereditario Turicensi binis horis exponet.

2) Foederis, quo Americae septentrionalis civitates utuntur, leges cum Helvetici foederis jure ternis horis comparabit.

2. *Professorum extraordinariorum.*

H. Escher, Dr.

1) Oeconomiam publicam senis horis, et

2) Jus gentium ternis horis docebit.

3) De ratione mutui, quod inter ecclesiam et rempublicam intercedit, juris ter p. h. disputabit.

4) Jus negotiationis senis horis tradet.

J. Hillebrand, Dr.

1) Quo ambitu et qua ratione studia juris prudentiae tractanda sint, ternis horis tradet.

2) Jus privatum Germanicum commune senis horis docebit.

3) Speculum Saxonicum bis p. h. interpretabitur.

H. Fick, Dr.

1) Jus negotiationis quater, et

2) Jus cambiale bis p. h. tradet.

H. Dernburg, Dr.

1) Institutiones juris Romani et juris historiam senis horis pertractabit.

2) Processus civilis Romani historiam binis horis enarrabit.

3. *Privatim docentium.*

H. de Marschall.

Oeconomiam publicam quinis horis illustrabit.

J. H. Hotz, accusator publicus.

1) Jus criminale Turicense quaternis horis docebit.

2) Selectos juris criminalis communis locos bis p. h. explicabit.

H. Rückert, Dr.

1) Jus privatum Germanicum commune senis horis tradet.

2) De societatibus bis p. h. disputabit.

A. de Orelli, Dr.

1) Juris confoederationis Helveticae historiam ternis horis enarrabit.

2) Juris civilis Turicensis partem priorem quaternis horis tradet.

3) Jus civile Turicense cum commilitonibus semel p. h. repetet et exercitationes practicas moderabitur.

Ed. Wippermann, Dr.

1) De jure gentium binis horis, et

2) De Taciti Germania singulis horis disputabit.

A. Mentz, Dr.

Juris Romani historiam quaternis horis exponet.

E. Escher, Dr.

Juris civilis Francogallorum partem priorem s. generalem (de jure familiarum et rerum) quinis horis tradet.

III. Ordinis Medicorum.

Decanus: J. Locher-Balber, Dr.

1. *Professorum ordinariorum.*

H. Locher-Zwingli, Dr.

1) Chirurgiam quaternis horis tradet.

2) Cursum operationum chirurgicarum sexies p. h. instituet.

3) Clinicen chirurgico-ophthalmiatricam senis horis moderabitur.

C. LUDWIG, Dr.

1) Physiologiae hominis partem priorem quaternis horis, et

2) Physiologiae hominis partem posteriorem senis horis tradet.

3) Societatis in rebus physiologicis versantis exercitationes bis p. h. moderabitur.

H. FREY, Dr.

1) Zoologiae utramque partem quinis horis tradet.

2) Anatomiam animalium organa inter se comparantem quinis horis exponet.

3) Quomodo homines et animalia vertebrata nascantur et adolescant, binis horis demonstrabit.

4) Exercitationes microscopicas totidem horis moderabitur.

H. LEBERT, Dr.

1) Clinicen medicam quinis horis moderabitur.

2) Pathologiam ac therapiam specialem totidem horis docebit.

3) De morbis organorum circulationis binis horis publice disputabit.

2. *Professorum extraordinariorum.*

C. SPÖNDLI, Dr.

1) Artis obstetriciae doctrinam quaternis horis tradet.

2) Clinicen obstetriciam ter p. h. moderabitur.

J. LOCHER-BALBER, Dr.

1) Therapiam generalem, praemissa introductione historica, et pharmacologiae partem priorem medicamenta praecipua demonstraturus senis horis tradet.

2) Policlinicen ternis horis moderabitur.

3) Semioticen singulis p. h. horis publice docebit.

H. MEYER, Dr.

1) Anatomiam pathologicam sexies,

2) Anatomiam topographicam quater, et

3) Pathologiam generalem ter p. h. docebit.

3. *Privatim docentium.*

H. SPÖNDLI, Dr.

1) De arte obstetricia exemplis idoneis usurus commilitones binis horis examinabit.

2) Quo pacto ars obstetricia exercenda sit, phantomate adhibito binis horis monstrabit.

3) Quo ambitu quaque ratione studia artis medicae tractanda sint, singulis horis exponet.

A. FICK, Dr., prosector.

1) Osteologiam et syndesmologiam ternis horis docebit.

2) Physicorum praecepta quatenus ad artem medicam apte transferantur, quater p. h. ostendet.

3) Res anatomicas quaternis horis cum commilitonibus retractabit.

A. L. Cloëtta, Dr.

1) Chemiam forensem binis horis tradet.

2) De secretionibus pathologicis res ipsas demonstraturus semel p. h. disseret.

IV. Ordinis Philosophorum.

Decanus: J. Frei, Dr.

1. Professorum ordinariorum.

E. Bobrik, Dr.

1) Artis logicae et rhetoricae praecepta ternis horis tradet.

2) Philosophiam naturalem praecipuam libri Humboldtiani, qui „Kosmos" inscribitur, rationem habiturus ternis horis docebit.

3) Artem pueros educandi totidem horis docebit.

4) Doctrinas ad universam philosophiam spectantes ter p. h. cum commilitonibus repetet.

A. Müller, Dr.

1) Geometriam recentiorum rationibus in examen vocatis ternis horis docebit.

2) Aequationum rationem et quomodo adhibitis superiorum ordinum curvis solvantur binis horis tradet.

3) Calculus differentialis, integralis et variationis quomodo in geometricis et mechanicis recte adhibeatur, ternis horis exponet.

4) Undulationis doctrinam et qua ratione ad acustica et optica rite transferatur, quater p. h. explicabit.

J. J. Hottinger, Dr.

1) Helvetiorum res gestas inde ab exeunte seculo XVIII. usque ad sancitam, qua nunc utimur, foederis constitutionem ternis horis enarrabit.

2) Libros ad historiam Helveticam pertinentes binis horis recensebit et dijudicabit.

H. A. Th. Köchly, Dr.

1) Poëseos Graecorum epicae post Homeri atque Hesiodi carmina exortae historiam fabulas Romanenses simul complexurus usque ad annum DC p. Ch. n. quaternis horis deducet.

2) Aristophanis Aves ternis horis, et

3) Plauti Pseudulum totidem horis interpretabitur.

4) Societatis philologicae exercitationes cum Ciceronis orationes Catilinarias vernaculo sermone interpretandas propositurus tum criticas sociorum commentationes latino sermone scribendas dijudicandasque curaturus ter p. h. moderabitur.

Ad. Schmidt, Dr.

1) Universam antiquitatis historiam nec non quomodo artes literaeque paulatim incrementum ceperint quinis horis enarrabit.

2) Literarum antiquarum historiam totidem horis, et

3) Rerum novarum apud Francogallos exortarum historiam binis horis illustrabit.

O. Heer, Dr.

1) Botanicen specialem praecipuam plantarum officinalium rationem habiturus senis horis docebit et excursiones botanicas instituet.

2) Qua ratione plantae disquirantur et dignoscantur, singulis horis demonstrabit.

3) De plantis medicinalibus et venenatis in Germania et Helvetia nascentibus semel p. h. disseret.

Städeler, Dr.

1) Chemiam experimentalem senis horis, et

2) Zoochemiam ternis horis tradet.

3) Exercitationes practicas ad chemiam spectantes vicenis quaternis horis moderabitur.

2. *Professorum extraordinariorum.*

A. Mousson, Dr.

Physicorum partem specialem, quae est de magnetismo, electricitate et galvanismo, quinquies p. h. tractabit.

J. L. Raabe, Dr.

1) Calculi differentialis et integralis rudimenta quaternis horis tradet.

2) De convergentia et divergentia serierum algebraicarum semel p. h. disputabit.

H. Schweizer, Dr.

1) De primo libro historiae Romanae a Th. Mommsenio conscriptae singulas scholas habebit.

2) Quo ambitu et qua ratione studia ad philologiam spectantia tractanda sint, ternis horis exponet.

3) Qua ratione in linguis Gothica atque Theodisca cum antiqua tum media et singulae literae permutentur et voces formentur flectanturque, ternis horis docebit.

4) Selectos locos Gothicos atque Theodiscos ex Wackernagelii libro depromptos singulis horis (grammaticam Theodiscam audituris gratis) interpretabitur.

J. Frei, Dr.

1) Aeschyli Agamemnonem ternis horis, et

2) Ciceronis orationem Verrinam quae est de suppliciis (Act. II. lib. V.) totidem horis explicabit.

3) Poëseos Graecorum dramaticae historiam bis p. h. enarrabit.

4) Exercitationes philologicas locos selectos explanandos propositurus et latine scribendi loquendique facultatem exculturus binis horis moderabitur.

A. L. Kym, Dr.

1) Philosophiam antiquam ternis horis, et

2) Philosophiam religionum totidem horis tradet.

3) Exercitationes in Aristotele interpretando versantes semel p. h. moderari perget.

H. Behn-Eschenburg.

1) Shakespearii fabulas quae »Hamlet« et »Midsummernights dream« inscribuntur ternis horis illustrabit.

2) Exercitationes anglice et scribendi et loquendi bis p. h. instituet.

A. Sal. Vögelin, Dr.

1) Pindarum ternis horis interpretabitur.
2) Platonis aut Gorgiam aut Phaedonem binis horis explicabit.
3) Horatii satiras et epistolas selectas bis, et
4) Taciti Annalium libros priores bis p. h. pertractabit.

Ed. Schweizer, Dr.

1) Stoechiometriam binis horis tradet.

2) Rerum, quae arte chemica efficiuntur, maxime necessariae quomodo et parentur et examinentur et in usum convertantur, ternis horis docebit.

3. *Privatim docentium.*

Gräffe, Dr.

Qua ratione minima quaeque quadrata reperiantur, bis p. h. exponet.

H. H. Vögeli, Dr.

Universam aetatis mediae historiam quinis horis enarrabit.

F. Gidoni.

Bellum, quod nunc quidem in Oriente geritur, quam vim habeat ad Europae populos in libertatem vindicandos francogallico sermone usurus binis horis declarare conabitur.

A. Eichelberg, Dr.

1) Qua ratione studia ad naturam pertinentia tractanda sint, semel p. h. ostendet.
2) Mineralogiam quaternis horis, et
3) Universam historiam naturalem totidem horis docebit.

D. Fehr, Dr.

1) Philosophiam juris ter, et
2) Psychologiam ter p. h. tradet.
3) Literarum Germanicarum historiam bis, et
4) Universam artium historiam bis p. h. enarrabit.

G. de Wyss.

Helvetiorum res gestas usque ad illud tempus, quo sacra emendari coepta sunt, binis horis enarrabit.

O. Volger, Dr.

1) Naturalem historiam tripartitam et hominum elegantiorum usui et accuratioris studii praeparationi accommodate senis horis docebit.

2) Crystallologiam (mineralogiam) s. naturalem historiam simplicium corporum naturalium quater p. h. tradet.

3) Quomodo fossilia nascantur et augeantur quaternis horis demonstrabit.

Ed. Regel, inspector horti botanici.

1) Anatomiam et physiologiam plantarum rationem praecipue agrorum, silvarum hortorumque colendorum habiturus ternis horis tradet.

2) Praestantiores phanerogamiorum quas vocant familias nec non quomodo illa structa sint incrementumque capiant, singulis horis explicabit.

3) De iisdem rebus, quatenus ad cryptogamia pertinent, singulas p. h. scholas habebit.

J. C. Hug.

1) Exercitationes calculi differentialis et integralis Raabii V. Cl. scholis ad eandem rem pertinentibus accommodatas et junctas bis p. h. instituet.

2) De mathematicorum arte et disciplina binis horis disputabit.

3) Geometriam analyticam duarum ac trium coordinatarum ternis horis docebit.

4) Analyticam staticorum rationem singulis horis tradet.

Chr. Heusser, Dr.

1) Mineralogiam ter, et

2) Crystallographiam ter p. h. expediet.

3) Exercitationes chemicas instrumento quod »Loethrohr« dicitur usurus binis horis moderabitur.

4) Meteorologiam et geographiam physicam totidem horis illustrabit.

J. Venedey.

Germanorum historiam usque ad imperatorum gentis Hohenstaufensis interitum ternis horis deducet.

O. H. Jäger, Dr.

1) Religionum, artium ac literarum apud gentes Orientis historiam ter p. h. enarrabit.

2) Platonis civitatem quaternis horis tractabit.

3) Philosophiam practicam strictim ter, aut, si auditores maluerint, philosophiae Graecae historiam quinquies p. h. explicabit.

Iis qui linguas recentiores, ut Francogallicam, Italicam, Anglicam, Hispanicam discere cupierint, haud deerunt praeceptores.

Artes docebunt: rudibus batuendi J. G. Ludwig, equitandi C. Schnabel et J. C. Ost, delineandi C. A. Müller. Musicas artes discendi ampla est opportunitas.

Publica docendi discendique subsidia.

Instituto medico-clinico praeest H. Lebert, chirurgico-clinico J. Locher-Zwingli, maiocomio J. C. Spöndli, clinico-ambulatorio J. Locher-Balber, Museo anatomico C. F. Ludwig, laboratorio chemico Städeler. Praesto est apparatus instrumentorum ad physica et mineralogiam pertinentium et Museum zoologicum, nec deest hortus botanicus.

Bibliotheca reipublicae Turicensis, bibliotheca civium Turicensium, bibliotheca naturae scrutatorum, bibliotheca societatis medicorum, bibliotheca societatis jureconsultorum publicis usibus ita patent, uti singularum leges atque instituta concedunt.